

F. JOHANNIS
IN NUPT.
DAVIDIS









EMBLEMA

ET

EPITHALAMIA QVAE-
dam, in honorem Nuptiarum Or-
natissimi Doctissimiq; viri, D. IOHAN-
NIS DAVIDIS Sponsi:
ET

LEctissimæ honestissimæq; Vir-
ginis, DOROTHEÆ TOER SMEDEN,
Amplissimi viri D. REINHOLDI TOER SMEDEN,
Reipub: Flensburgensis Senatoris olim pru-
dentissimi filiæ, Sponsæ.


Quæ
Boni ominis ergò, & amicitiæ Sponsi ineundæ: & grati-
tudinis erga Sponsam declarandæ causa F.

FRIDERICVS IOANNIS
Flensburgensis Holsatus.

ARGENTORATI,
Excudebat Iodocus Martinus.
ANNO M. D. XCV.

ΕΤΕΟΣΤΙΧΟΝ.

FeLIX ConIVgIVM sponso, sponsæq; noVeLLæ,
AVgVror: OptatIs Consona CVnCta bonIs!



Quos ita Legitimè Summi FaVor, Araq; jungit:
Sub Cruce Pax junctos ambit: & urit Amor:
Vctos conserVat concordia fida: Beati
ViVunt: & solVi non nisi Morte queunt.

FAma Trebocorum patrijs pervenit ab oris
Argyropen, nobis talia, IANE, ferens:
Quem non regna prius poterant vincire, nec urbes:
Vicit, & hunc vinxit Cimbrica Flenopolis.
Quem nunquam potuêre viæ Virtutis, & Artis
Hostes innumeri frangere, & innumeræ:
Diva Paphi: Divæq; puer, puer improbus ille:
Ebrietas fœdi fœda propago patris:
Syrenum voces: Circæaq; gramina: Phœdræ
Pocula: Mollites: Ocia: Barbaries:
Et Sopor: & Torpor: Persuasio: Terror: & Error:
Et quæ sunt ipso plura tremenda sono:
Scandere quæ prohibent diuinam Palladis arcem:
Dum facienda vetant: dum fugienda jubent.
Non puerum poterant illi superare, nec illæ:
Quem nunc devicit bella puella virum.
Ignoti dolui casum: quanquam mihi Phœbus;
Fecerat & notum nuncia fama virum.
Sed simul invidi tam blandæ fata puellæ:
Istud erat quamvis error: & hoc vitium.
Nam neq; causa viri luctus erat indiga nostri:
Ipsa nec invidia digna puella mea est.
Cur ita? causa patet: scribenti nuncia venit
Littera: qua virgo fertur amore mori:
Quæ prius & juvenes urebat virgo virosq;:
Nunc victi unius flagrat amore viri.

Non potis est una socio sine vivere luce
Sola; nec in viduo nocte jacere thoro:
Bis poterat denos quæ sola manere per annos
Virgo, tam multis una petita procis.
Quæ sua miserunt; quanquam sua dona tulerunt
Ipsi, non ipsis ferrea dixit: amo.
Nunc amat infelix: & tecto carpitur igni:
Et grave sub tenero pectore vulnus alit.
Ferte citi vestras, dixi, de montibus herbas,
O medici, medicas huic adhibete manus.
Altera Tyndaridis facies, Peroq; secunda
Ne pereat: vestrum mortua crimen erit.
Parcito, Persephone, sat habent tua regna puellas
Formosas: superis sit super una locis.
Est Iope tecum: tecum virguncula Tyro:
Est tecum Europe: pulchraq; Deiphile:
Brisëis, magnum forma quæ movit Achillem,
Herculis & domitrix est tibi, Persephone.
Antiopam, Argiamq; tenes, formaq; superbam
Antigonam, Floram, Tyndaridemq; tenes:
Et quæcunq; aliæ magnis viguêre Mycenis,
Et Spartæ, & Thebis Oedipodioniis:
Quotquot erãt Cecropis, quot erant Amphionis arce:
Quotquot erant Priami, Romulidumq; domo:
Sunt apud infernos omnes: sat millia avarus
Hic tuus, atq; tui coniugis ignis habet.
Si nequeant, nolintve alij: miserescite Divæ:
Flecteris &, Iuno, si qua pudica perit.

Pelle

Pelle tuum puerum, genitrix Ænëia, pelle:
Aut, levius flammis urat ut ille, jube.
Sed tibi collatam doluisti, credo, puellam:
Præ te formosis invida fortè Dea es?
Quid jam, quid Veneris poterunt sperare nepotes?
Virgo perit victo Penelopæa proco!
Sic ego: Sic contra Pharetrati mater Amoris
Cypria respondit; Falleris hìc iterum.
Non est in medicis virgo relevetur ut ægra:
Virginis illorum plus valet arte malum.
Vulnus enim venis alit: haud medicabile vulnus
Arte, Philoctetes qua pede sensit opem:
Nec qua Phœnici redierunt lumina: nec qua
Redditus est vitæ Virbius Hippolytus.
Nil etenim sacris valet hìc Epidaurius herbis:
Nil formidatis ipse Galenus aquis:
Arte nihil Chiron: cura Pæonq;, Machaonq;:
Indiget hìc alia vulnus amoris ope.
Quam nisi mox dederit languenti vulneris autor:
Ipse sui læsam coget amore mori.
Ergo, nisi victæ tulerit medicamina victor,
Non ferat alter opem? Non ferat alter opem.
Nam veluti telo quo læsus Achillis, eodem
Telephus à telo sensit Achillis opem:
Sic nisi qui fecit vulnus, sanaverit idem
Vulnus: erit tanti nulla medela mali.
Invida formosæ nec sum, mihì crede, puellæ:
Nam nostro formæ munere munus habet.

Hanc de Lucina venientem lucis in auras
Excepi: hoc foui membra tenella sinu:
Huius, prosiluit quoniam mihi dulcis imago,
Cessaui nunquam comere colla manu:
Ceu neq; adhuc cesso pingui deducere amomo
Crines; & sertis condecorare comas.
Nubilis ut teneram paulò firmauerat ætas:
Plura dedi nostri signa fauoris ei:
Namq; illi juuenem multis de millibus, unum
Quo cum, delegi, jungeret illa thorum:
Quin illi mira fabrefactas arte catenas,
Queîs iuuenis collum necteret ipsa, dedi:
Tum meus hic pullus (cinctum face, mater, & arcu
Monstrabat, puerum) cuspide fixit eum:
Fixit ei iuuenem formæ, nec stirpis egentem:
Et domitum iußit ferre iugum Dominæ:
Quem toties generum frustrà petiêre parentes,
Dania, sæpè tui: Gallia, sæpè tuæ.
Sic tamen àmbobus parcentes, stringimus ambos:
Alter ut alterius damna leuare queat.
Sed, ne tarda nimis noceat mora forsan amori:
Hìnc abeo ad fœdus nunc genitale: VALE.
Sic Venus attonitum me, & quærere plura volentem
Deseruit: simul ac dixerat illa: VALE.
IANE, rogas, inuicta viris quo victa viro sit:
Quis catus, & verè callidus ille virûm:
Qui tam mira suæ norit dare vulnera victæ:
Ferre quibus poterit non nisi victor opem?

De-

Desine contari: Ioue judice, teste Thalassio,
Solus es hic victor: qui modò victus eras.
Solus eras etenim, vinci quo virgo valebat:
Quo vinci, solus, virgo volebat, eras.
Sola erat hæc etiam, poteras qua virgine vinci:
Solius optabas cuius amore capi.
Hinc capis; & caperis: victo victoria cedit:
Tam variant mirâ res in amore vice.
Iamnè putem verè Musam cecinisse PropertI?

Vinceris, aut vincis: hæc in (amore rota est.

Sponse, probas aliud: confirmat Sponsa uovella:
Vinceris, & vincis: hæc in amore rota est.

ALIVD.

ERgo nihil poterant Veneris tot, Sponse, puellæ:
Gallia quotquot habet, Dania quotquot habet?
Sola tuos potuit sensus in flectere, Fleni
Quam tibi Penelope nutrijt urbe, VENVS.
Hæc, quas nulla prius prædata est fæmina sensus,
Prædatur sensus DOROTHEA una tuos.
Nam simul ac nitidis hæc te conspexit ocellis,
Impulit invictum cor animumq́; tuum.
Vinceris intuitu paulatìm virginis: ipsa
Vincitur intuitu Penelopæa tuo:

Sen-

Sensit; & erubuit: quærens tibi vincula, quærit:
Mancupiumne meum: mancupium anne tuum?
Dixerat: ex illo VENVS hæc tibi vincla parata
Promere, & in collum conijcere illa tuum.
Quis tibi tunc animus cernenti vincula, Sponse,
Queîs sibi te, tibi se virgo ligabat, erat?
Sponte sed, ô liber, cur vincula serva puellæ,
Pieridum, & patriæ fama decusq;, subis?
Non te dura tuæ Sponsæ cognomina terrent?
Omina nominibus nonne subesse solent?
Nec te, sponse tuæ deterrent vincula sponsæ,
Vincula fabrili penè timenda sono?
Fallor an hæc forsan non sunt tam vincula dura:
Et facti causam, quo tuearis, habes?
Est ita: Mulciberis non sunt tua vincla fabrili
Facta, quibus capti Marsq;, Venusq;, manu:
Non Herebo tenebrisq; sati, non vincla Melampi
Turpia: sed sponsæ lævia brachiola.
Quæ tibi, quæ dudum, sed non sine numine divûm,
Vincula DOROTHEÆ sunt fabrefacta tuæ.
Queîs ego quot memini vinclis voluisse ligari;
Favissent votis si modò fata suis!
His benè te cingat fabrefactis illa catenis:
Illis, liber eris, si modò vinctus eris.
Liber erit, qui vinctus erit? qui lege revinctus,
Is demum fœdis liber erit vitijs.
Vincula sunt: inquis. Sunt vincula: plena salutis
Vincula: legitimo non onerosa thoro.

Cum

Cum sine conjugio esse jugum grave ducere vitam
Constet: nec tutæ sint in amore moræ.
Quam malè stet, nosti, vitis, quæ sola stat agro:
Et pare quàm nequeant cuncta carere suo.
Hinc lupus ipse lupam sequitur: caper ipse capellam:
Cumq; suo vitam turture turtur agit.
Quid referam plures volucresq;, ferasq;? leones
Non poßunt vidui tædia ferre thori.
Mutua quin etiam nutare ad fædera palmæ,
Se platani platanis associare solent:
Inter se caræ coëunt in vincula frondes:
Nexum populeum populus omnis amat.
Quid? si non Phæbum sentiret sæpe maritum
Luna suum, noctes quot sine luce forent?
Quò rerum series, mundi reparetur & ætas;
Et genus humanum, cum pecudumq; grege:
Terræ, producens vitæ quibus indiget usus,
Æthera præcipitat Iuppiter in gremium.
Et quem pæniteat vinclo seruire iugali:
Illius autorem cum sciat esse Deum?
Hic est, hic, primos qui lege revinxit amantes:
Vna qui jußit vivere carne duos.
Hinc quæ non vestris promittam commoda vinclis:
Vincula cum videam lege revincta Dei?
Ominor hinc certè votis fore fata secundis
Congrua: tum gratas vestro in amore moras.
Ominor à vestro procul hinc fore limine lites:
A lecto luctum: damna remota domo:

B

Nec ſine prole prius: veſtra quam ſtirpe renatus
Alter REINHOLDᵘˢ; DAVID et alter eat:
Cernat avum, cernatq; aviam, de ſanguine veſtro
Alter IOANNES: altera DOROTHEA.
Non eſt quod dubitem: Dodonæ verior augur
Sic forc prædixit: credere nolle nefas.
Tu modò, ceu coſtam, caſtam fove, Sponſe, maritam:
Sic tibi Dodona verior augur ero.
Tu modò, ceu proprium collum, cole, Sponſa, maritum:
Sic tibi fas fuerit, quod fuit antè nefas.
In vos nil juris ſic jura Platonis habebunt:
Nec vidui vobis pœnæ timendæ thori:
Nec fora ſub Bruma, metuenda, nec ara Lacæna
Feſto: aut fœminea flagra ferenda manu.
Deniq; Cecropidum regis quia iuſſa ſecutus,
A triplici mulcta, Sponſe, ſolutus eris.
Nam tibi maturè, clara de ſtrrpe creata,
Ducta pudore decens uxor, & ore decens.
Nec pedibus tacto metuas à limine, Sponſa,
Crus ubi de patrio limine transtuleris:
Vt nec opus Sponſi poſtes axungiæ inungas:
Neve ſoloce tegas iam ſubitura forem.
Colchica non poterunt thalamos violare pudicos
Faſcina: non herbæ lædere Theſſalicæ.
Chriſtus enim præſens, cui vincla jugalia curæ,
Dirigit egreſſus introitusq; tuos.
Tu ſaltem, ante abitum, plexis venerare corollis,
Sponſa, Lares patrios: aſparagumq; cape?

Neq.

Neglige nec rhedæ, quæ te vehet, optima, ad ædes
Conjugis, ante fores igne cremare rotam:
Ne te, si forsam Socrus tibi deneget ollam,
Ad matrem revehat rheda relicta tuam.
His te detineo plus æquo, Sponsa, propinquat
Hesperus: ad Venerem Mercuriusq; suam.
Pone metũ, Neonympha, tuum: quid triste gemiscis?
Quid fœdas lachrymis os, roseasq; genas?
Desine: non circum jam sparsa legumina cernis?
Ea age, iam satis est: desine: Sponsus adest.
Lætus adest Hymen: cunctatur: Cur ita? ferrum
Oblitus digitis demere, Sponse, tuis.
Ergo age, deme tuo: Sponsæ digito indue: vester,
Ferrea ceu durant vincula, duret amor.
Culcitris geminis thalamum Thalameutria dudum
Stravit: cortinis omnia cincta satis:
Rore Venus Sponsæ crinem, vultumq;, genasq;,
Et niveos artus lavit Acidalio:
Sola sed hic binis, segnis Promnestria, Zonæ
Hunc digitis nodum solvere cessat, anus.
Dißue cunctanti Nymphæ, Nympheutria, nodum
Herculeum: quatuor lustra ligaße sat est.
Iam Latonigenæ reddenda est Zona Dianæ:
Iam satis hanc virgo Penelopæa tulit.
En Neonymphus adest: sua fert Opteria Nymphæ:
Flammea virgineis queîs adimenda comis.
Iam licet extinguas reliquas tres, Ponuba, tædas:
Servat inexstinctas cor utriusq; faces.

Blandus enim admotis calefecit pectora pennis:
Atq; suam thymbram spargere cæpit amor:
Et benè spirantes flores: Violasq; fragrantes:
Pulchraq; Pastænis Lilia mixta Rosis.
Sparge, marite, nuces: nam cætera ludicra ponis:
Cætera ne dicam, sparge, marite, nuces.
Mercurius Veneri junctus: properate nepotes:
Fac celer ut decimus, Cinthia, mensis eat.
Sed faveas, Lucina, precor: sit, sit tibi curæ
Cum puero genitrix: cum genitrice puer.
Parce puer matri: sic multum, crede, decoris
De genitore feras: de genitrice feras.
Morde jã roseis matrẽ, THEODORVLA, labris:
Arride docto, parvule IANE, patri.
Claudite jam postes: nobis jam sidera somnum
Suadent: sed vobis: claude Elegia, sat est.
Sed vobis licito livescant brachia nexu:
Nil nisi mors solvat vincula vestra thori.
Erravi, fateor: veniam date: dicta recanto:
Nil nisi mors solvit talia vincla thori.

Ali-

A L I V D.

ΑΝΑΓΡΑΜΜΑ ΔΙΑΛΟ-ΓΙΚΟΝ.

I. De nomine Sponsæ

DOROTHEA.

Anagrammat:

DEA THORO.

II. De nomine & cognomine eiusdem.

DOROTHEA TOER SMEDEN.

Anagrammat:

H. DOTE DEA: MENTE SOROR.

Interlocutores: Sponsus: Thalmeutria: Hymen.

S. I*uno genus, cum membra Venus, mentemq́; Minerva*
Sponsa sit: estne THORO DOROTHEA ipsa DEA?

T. Nō mihi nota Venus: nec Iuno: nec illa Minerva:
Vt reor, his Præstat DOROTHEA una tribus.

H. Non minor hæc una tribus est pietate Deabus:
Est DEA DOTE sua: sed tua MENTE SOROR

A L I V D.

O Te felicem: verè te, sponse, beatum:
Si benè te noris, DOROTHEAMQVE tuam!
Vix dum natus eras celebri de stirpe, celebri
In patria, Aônides phyltra dedêre tibi.
Ex illo gratum properabat nomen in omen:
Æquabat virtus corporis ipsa decus.
Mox superabat idem: postquam firmata per annos,
Ingenij, & docilis mentis acumen erat.
Nec mirum. quoniam in te Dij certare Deæq;
Plures Virtutis linquere signa suæ:
Quam quot, Mulciberis fabrefactæ corpus ab arte
Pandoræ, donis condecorâre suis:
Cui Venus est faciem largita; monilia Peîtho:
Ornatis Charites serta dedêre comis:
Pallia concessit Pallas: quod Iuppiter igne
Fovit: & ornavit nomine Mercurius.
His tamen exorta est, & adhuc sub judice lis est:
Virtutis cujus maxima signa geras.
Hanc sibi deposcit laudem ob sua munera Phœbus:
Poscit ob Aôniam Calliopæa lyram:
Ob genus hanc Iuno; formam Venus; exigit illam,
Ob doctam mentem, docta Minerva sibi;
Terna sibi, propter concessum, Gratia, nomen;
Pro rerum, Sophie, cognitione, data.
Cnius amore tuæ patriæ non terminus urbis
Creditus est orbis terminus esse tibi.
Dum neq; tot patriæ, neq; tot Germanidos oræ
Gymnasia; illustres Gymnasiûmq; Sophi

Siſtere te poterant: variarum propter amorem
Linguarum; & morum propter amabilium.
His tandem Pietas medijs intervenit: atq;
Sacratæ Fidei nixa favore, refert:
Cedite virtutum genitrici, Dijq;, Deæq;:
Cedite: præcipuus nam mihi cedit honos.
Eduxi puerum patria de ſede, reduxi
Ad ſedem patriam, non ſine laude, virum:
Direxi juvenis Fidei benè tramite curſum:
Ipſa regam factum poſt in honore ſenem.
Veſter honos, nomenq;, omnes laudesq;, manebunt;
Aſt Iovis hìc primas judicio obtinui.
Conceſſêre omnes: certamen voce diremtum:
Et ſua victrici ſunt data DONA DEI.
DONA DEI Pietas caro conceſit alumno:
Qualia vix menſes dona tulêre decem.
Quæ mihi, quæ memoras, inquis, doctiſſime Sponſe,
Dona? tuã, memoro nil, niſi DOROTHEAM.
Ergo haud mortalis noſtra eſt THEODORV la part⁹?
Hanc nobis matrem tunè dediſſe negas?
Non, nõ humanũ THEODORÆ, DOROTHEÆve,
Sponſe, DEI DONVM nomen utrumq; ſonat.
Ponas, transponas, iterumq;, iterumq;, reponas:
DOTE, THOROq; DEAM verſa elemẽta ſonant.
Et verè: quoniam tantùm THEODORA puellas
Mentis & exſuperat frontis honore bonas:
Ipſa Venus quantùm forma Nereïdas extat:
Et quantùm Nymphas ipſa Diana premit.

Credo

Credo equidem Phrygia si tu vel pastor in Ida
Sedisses, donum non tibi tale foret.
Si foret humanū. PVRVM an quid reddere LIGNVM
Impurum potis est? Pagina sacra negat.
Ergo quid potis est addi tot dotibus aucto?
Nil, nisi gratator Naso Marovè, potest.
Sed quoniam raros superi dant arte Marones:
Nasones raros tempora nostra ferunt:
(Vel quia nullus amat jam carminis arte Maronem:
Nasonem genio vel quia nullus alit)
Iam nec Aristophanis descendit Bachus ad Orcum,
Vt referat Genios his bonitate pares:
Ipse tui gratator ero tibi muneris, ipse,
Carmine, non animo, Mævius, aut Bavius.
Et, licet argutos interstrepat Anser olores,
Ipse ero gratator, DOROTHEA, usq; tibi.
Scis etenim simplex quod non mihi causa canendi:
Nec mihi fucatus, nec simulatus amor.
Sed quia non opis est nostræ, maiora referre
Munera; muneribus nec licet æqua tuis:
Talia Dij referant: egomet tibi vota rependam:
Quæ rata, pro donis, sint, THEODORA, tuis.
Ipsa priùs vobis arescat Balthica Tethys:
Et retrò nobis Rhenus, & Ellus eat:
Tristia quàm vobis vestræ sint tædia tædæ:
Debita vel nobis gratia mente cadat.
Hoc facio votum: votum probat Argentina:
Approbat & vestri fæderis autor idem.

F I N I S.